

P. 47. *Primit. 28.*
9.
DISSERTATIO IVRIDICA
DE
DIFFERENTIIS IVRIS ROMANI
ET GERMANICI

IN
LEGITIMA ET QVERELA
INOFFICIOSI TESTAMENTI LIBERORVM

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENRICO BREVNING,
PROFESS. PVBLIC. EXTRAORD. ET SOCIET. LITER.
DVISBURG. SOCIO

IN
AUDITORIO PETRINO
DIE XXIX. MAII ANNO CIDIQCLXII
DEFENDET
AVTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS WENTZEL

ISLEBIENSIS.

LIPSIAE
EX OFFICINA STOPFFELIA.



CHRISTIANUS HENRICUS BRAUNUS
HISTORICAS LITERARIAS
AD ANTONIUM VON CISTERCIENSIS
PRAESES MAGISTRI UNIVERSITATIS FRANCICAE
HISTORICAS LITERARIAS
AD ANTONIUM VON CISTERCIENSIS
PRAESES MAGISTRI UNIVERSITATIS FRANCICAE
CHRISTIANUS HENRICUS BRAUNUS
HISTORICAS LITERARIAS
AD ANTONIUM VON CISTERCIENSIS
PRAESES MAGISTRI UNIVERSITATIS FRANCICAE

1573

URN:NBN:DE:GBV:3:1-660758-P0004-4

DOMINO
SVMME REVERENDO
PERILLVSTRI ATQUE GENEROSISSIMO

DOMINO
FRIDERICO ABRAHAM
DE HOPFGARTEN

AVGVSTISSIMI POLONIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO,
PRAEFECTO CAMERAE ET PRAEFECTO COMITATVS
MANSFELDENSIS

NEC NON CANONICO BRANDENBURGI

RELIQVA

DOMINO AC MAECENATI SVO
GRATIOSISSIMO INDVLGENTISSIMOQUE

HOC STVDIORVM SVORVM SECUNDVM
SPECIMEN EX SOLENNI VETERVM FORMVLA

D. D. D.

AVCTOR



DONINO
SAMMEL-TAVERNO
LUDVICO STOZI GENOVIASMO
DAMINO
FEDERICI ABRAHAM
DE HORGATEN

VACUATIONE LEGIS CONSITIO IN ITALIA
SOCIETATIS CIVICAE ET MARCHIORUM COMMUNIA
IN PUGNA
PRO CIVITATE
RESTITUTA
AD VITAM
PRESIDIA
DE MULIERIBUS
GRATIOSA
HOC
SOCIETATIS EX ALEXANDRI TITIUS
MOTU

ZOTOVA

SVMME REVERENDE

PERILLVSTRIS ATQVE GENEROSISSIME DOMINE

DOMINE GRATIOSISSIME

Quod aliis contingere solet, qui scripta emancipare apud
animum sibi constituerunt: ut timore quasi perculsi
Maecenatum suorum nomina tanquam hederam scriptis praefi-
gant: id mihi equidem **DOMINE PERILLVSTRIS**, haud acci-
dit nec perspectum habeo, quo pæcto accidere potuisset. Quam-
quam enim ii omne punctum tulisse videantur, qui ob splen-
dorem ac grauitatem **PERILLVSTIS TVI NOMINIS**,
cuius gloriā tuebitur aeternitas, censorio quodam supercilios
audaciae reum me denunciat: quod leuem nec ingenio per-
fectam nec industria elaboratam hanc dissertationem in sinum
TANTI MAECENATIS mittere nullo pudore suffundar:
saluam tamen atque illasem modestiam meam futuram,
ac eos quibus **TIBI** interesse feliciter contigit, eiusmodi in-
iustum iudicium circa me illatos haud esse, insignibus qui-
busdam argumentis conuictus cerre confido. Tanta quanta
enim est **NOMINIS TVI** gloria quam exquisita ac diffusa
litterarum doctrina comparasti: quanta est munera **TV O-**
RVM maiestas, qua **TE** in sublimi locatum suspicit Mansfeldia:
tanta tamen quoque est admiranda **TVA** gratia, quae
communi suffragio excelsas animi virtutes commendat, com-
mendatas effert ac elatas denique illustriores reddit.

Quis est, qui non compertum habeat, quam serena ac graci-
osa fronte omnes omnino quotquot **TE** adeunt excipias. Tam
leni tam comi ingenio omnibus arrides, ut multa humanitatis
habere videaris. Gratulatur sibi itaque Mansfeldia, quod **TV**
DOMINE EXCELLENTISSIME ad clavum Comita-
tus sedeas. Triumphant Islebia. Non minaris enim Manliana im-

peria, sed viuis cum ciuibus TVIS, vt parens cum liberis.
Quid est ergo causae, quod metus peruaderet pectus meum:
quum hanc Dissertationem sacram TWO NOMINI esse ju-
beam. Ipse ego multoties expertus sum excelsam TVAM
gratiam, et manes parentum meorum TIBI adhuc pro tanta
illa gratia, quam erga illos exhibuisti, gratam mentem recolunt.
Quae cum ita sint, fretus TVA gratia omnem plane abiicio ti-
morem, ac tanta, quanta vix cogitari potest reuerentia hanc
Dissertationem TIBI DOMINE GENEROSISIME
ex veteri formula do dico dedico. Accipe illam ea hilari ac
gratiosa fronte, qua omnes Musarum cultores excipere soles.
Indulge scopolis istis, quibus fortasse infeliciter obhaesit Disser-
tatio mea, nec damna iuuenilem illum ausum, ex quo doctri-
nae meae igniculos sparsi. O si nunc votis meis, quae pro
TVA incolumitate concipio responderet exitus felicissimus!
At vero consentiet meo desiderio supremum numen. Appre-
cor itaque Deum moderatorem illum omnium rerum, vt ea
salute perfruaris, quam morbi iniuriae frustraneo ausu concu-
tere conantur. Succrescat illi a die in diem nouum quoddam
incrementum, vt nil nisi perpetuitas accedere posse videatur.
Faxit denique, vt sero TE beatae illi, ad quam omnes TVAS
actiones referre soles, aeternitati interesse iubeat. Sic enim
maiestas imperii in Mansfeldiam euehit: sic euecta stabilitur,
ac sic stabilitam et aere perenniore laetabitur posteritas. Vale
ac TVA me semper gratia completere,

SVMME REVERENDI AC PERILLVSTRIS
TVI NOMINIS

LIPSIAE
DIE XXIX MAI^{II}
MDCLXII. CULTOR LONGE DEVOTISSIMVS
CHRISTOPHORVS FRIDERICVS
WENZELIVS.



DIFFERENTIAE IURIS
ROMANI ET GERMANICI

IN

LEGITIMA ET QVERELA
INOFFICIOSI TESTAMENTI
LIBERORVM

CAP. I.

Romanorum successionem in bona defunctorum iam iam ab incunabulis reipublicae ita fuisse comparatam, ut heredes a lege vocati tunc demum succederent, si nulli alii a defuncto nominati exstabant, adeoque legitimam imperfectam fuisse, id tam apertum est, ut ampliori haud egeat disputatione. Quis enim est, qui mecum non faciet, liberrima facultate disponendi de suis bonis tam antiquissimis temporibus, quam post Legum XII

Tab.

8 DIFFERENTIAE IURIS ROMANI ET GERMANICI

Tab. tempora Romanos fuisse instructos? Suo, sane ausu, voluntate sua, quam nullae leges terminauerant, illis largiebantur sua bona, quos optime de se meruisse censebant. Exheredes itaque scribebant liberos, praeteribant illos & nullius legis vinculo obstricti omnia in hoc capite ex animo faciebant Romani. Non est sane, ut rationem ex alto et magno quodam nisu petamus. Later simul in romana ista patria potestate, quae olim tam late patuit, ut tam occidere, quam exheredem scribere filium licuerit patri familias. Sed ordine tractanda res. Dicant, quidquid velint, quos sua docet natura et intestati successionem et testamentorum origines, nunquam probabunt moralē hominis naturam ex unico, vero, adaequato, quod maximum est, et euidenti principio primo Iuris Naturalis ytramque hereditatem introduxisse: id vero efficient, ut ostendant introductum argumentis ex sana ratione petitis et defendi et comprobari posse. Sane si quae nobis ex antiquissima historia seruauit historicus Theopneustos MOYES, non appareret alium quam occupationis primum hereditatum modum fuisse. Non est ad scopum nostrum pertinens ut argumentis ex LL naturalium ambitu depromptis, quod iam ab aliis factum, rem late longeque tractemus: videamus magis, quid obseruatum fuerit apud eos homines, qui adhuc vtebantur conditione status naturallis et aequalis. Si vel ad historiam antediluvianam, vel ad ea, quae postea contigere ad Abrahāi tempora vsque, vix vestigium aliquod obuenit de successione aliqua in hereditate. At si ad huius sancti viri tempora respicimus, offert se occasio, ut aliqua saltem probabilit̄ coniici queant. Narrat MOYES^{a)} THARAM tres genuisse filios, ABRAM, NAHOR et HARAN. Praemortuo HARAN relicto filio LOTI cepit consilium

^{a)} MOYES Genesios cap. XI. sqq.

THARA mutandi sedes et in consortium accepto filio ABRAM et nepote LOTH ex patria Chaldea, in qua filium NAHOR reliquerat, migraturus in terras Cananeas in terra Haran sedem figebat, ibique moriebatur. Ne verbum addit Historicus filium Nahor accessisse diuissimeque hereditatem, sed probabilius est patris auique bona partitos fuisse filium Abram et nepotem Loth, quippe de vtrorumque bonis et patrimonio mox scribit Moyses. Et quis facilius poterat ea occupare bona nullius facta, quam filius et nepos, qui simul cum patre auoue habitauerant? Post refert sanctus Vir Abraham cum Loth in Canaan migrasse atque in ea terra separatas sedes seruata tamen omni amicitia constituisse. At contingebat, vt diues ille Abraham iam senex nulos haberet filios, quapropter querebatur apud DEVUM, cum tot illi diuitias pararet, neque heredem haberet, et in ea prorumpebat verba: Serui mei Elieser filius erit meus heres. Si natura ordinem succedendi ab intestato alium introduceret, quo iure conieciisset Abram serui filium heredem fore, cum non modo fratrem germanum superstitem haberet in Chaldea NAHOR, verum etiam in Cananea prouincia fratri filium LOTH, qui utriusque ex ordine, si ea a naturae lege veniret, succedere deberent. Coquicchio itaque ex his, et filios tunc tantum successisse si adfuerint praesentes moriente patre et primi, qui occuparent, quare et ipse Abraham bona sua inter viuos ISAACO donabat, datis forsan exiguis portionibus reliquis suis liberis. ISAACO demum mortuo praesentes filii ESAVVS et IACOBVS, postquam ossa patris sepelierant, partiebant bona patris occupata atque se se separabant. Sane si ex iis factis iudicandum, quae antiquissima refert historia, nec intestata nec testata obtinuit inter primos homines successio,

10 DIFFERENTIAE IURIS ROMANI ET GERMANICI

cessio, sed liberi quos mutuuus amor cum parentibus habitare iubebat, mortuis iis, eorum occupabant bona: donec usus frequentissimus quodammodo ius ficeret, quod dein ampliavit ciuitas suis legibus, cum ea ab hominibus relictio libertatis naturalis statu fundata esset. Omnis ergo successio, quae antiquissima in rebus publicis, fuit liberorum: et iam videamus, quid Romani in sua republica sancuerint.

CAP. II.

Equidem antiquissimis Reipublicae Romanae temporibus liberos parentibus heredes extitisse negari nequit, at non tantum erat iurium vinculum, ut necessario heredes existerent, quibus parentes non potuerint adimere hoc succedendi ius, imo magis ab horum arbitrio videbatur pendere, an liberos heredes vellent habere, nec ne. Inuentis introductorye testamentis nihil erat facilius, quam ut parentes de suis bonis ita disponerent, ut potius ad eos venirent, quos bene de se meritos arbitrabantur, postpolitis atque exclusis liberis. Neque postea aliter sentiebant Decemviri, qui potius hanc parentum licentiam sua lege confirmabant: **PATER FAMILIAS, VTI LEGASSIT, ITA IUS ESTO.** Poterat ergo Pater lege sua in comitiis calatis condita seu testamento vel penitus praeterire liberos, vel exheredare, et valebat illa lex patris voluntatem continens. Neque videntur Romani sub libera republika ab hoc recessisse iure, verum haec potestas, si interdum restricta fuisset videtur, saltet non iure, sed praetoris magis ingenio restricta fuit. Sane si omnia probandi argumenta deficerent, classicus locus apud **C. I. CERO-**

IN LEGIT. ET QUERELA INOFFIC. TEST. LIBEROR. II

CERONEM^{b)} recte euincet. Refert enim Crassus, quem dicentes producit, de morte militis alicuius domum falsum ab exercitu nuntium venisse, et patrem eius, re credita, testamentum mutasse et quem ei visum esset, heredem fecisse, eumque postea mortuum esse: Rediisse dein militem filium viuum domum legeque, re delata ad Centumviro, egisse in hereditatem paternam, et iam pergit: uti verba sunt CICERONIS: *Nempe in ea causa quaesitum est de iure civili, possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem neque exheredem scripsisset nominatum?* Neque vero ex hoc CICERONIS loco ea probarem, quae probare voluit BACHIVS^{c)} videlicet dissensiones iam sub libera republica inter iureconsultos extitisse. Equidem ea solet esse humanae rationis conditio, ut non omnia quae ab aliis probata, prober, suas potius proprias alat opiniones, et obinde haud negauerim, veteres ICTOS sub libera republica in contrarias haud rato recessisse opiniones, sed id neque celeberrimum illud judicium Curianum, neque controversia de iure postliminii in causa Mancini Numantinis dediti, neque nostrum thema probabit. Quodsi enim de iuribus aut bonis, quae quis praetendit, lis mouetur atque in iudicium deducitur, necesse est, ut is, qui contradictoris officio fungitur, actoris opinioni contrariam defendat, quamvis forsitan vere ipse non dissentiat; ita enim fert officii ratio. Sed ad rem redeo. Nihil sane ex eo Ciceronis loco videatur clarius consequi posse, quam praetereundi facultatem parenti adhuc liberam suisse, et controversiam tantum ortam,

B 2

cum

b) CICERO de Oratore lib. I, c. 38 quod emendatio est. 9. 2. 3. 10. 11.

c) BACHIVS in Histor. Iur. Lib. II, c. III, §. 150 in quo istud est.

12 DIFFERENTIAE IURIS ROMANI ET GERMANICI

cum pater falso nuntio iudicatus praeteriisset filium, an et paterna carere deberet hereditate. Quod si enim lege aliqua aut iure constitutum fuisset, ut aut filii instituendi aut exheredandi nominatim essent, et nisi id factum testamentum ipso iure nullum, frustra apud Centumuiros quaestio mota, possetne paternorum honorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem neque exheredem scripsisset nominatim.

CAP. III.

At huic forsitan opinioni argumenta opponi poterunt, quasi republica libera parentum officium fuerit aut instituere aut nominatim exheredare. Quae enim videtur alia causa, cur Aquilianorum posthumorum et Cornelianorum causa invenita fuerit, nisi vel instituendi fuerint vel exheredandi. Neque vero haec obiectionis tanta est, vt opinionem antea defensam desererem. Verissimum est Aquilium Gallum ICTUM et Legem Corneliam quasi posthumorum rationem habuisse, idque ex ea ratione, quod sui heredis agnatione rumpi videbatur testamentum. Valebat utique libera republica ea iuris regula, vt illud rumpatur testamentum, simulac esset agnatus suus heres testatori post illud conditum. Testis est CICERO^{d)}, Ait: *Hoc non potest: cui filius agnatus sit, eius testamentum non esse ruptum, iudica.* Et alio loco^{e)}: *Num quis eo testamento, quod pater familias ante fecit, quam ei filius*

d) CICERO pro Caecinna cap. XXV.

e) IDEM de Orator. L. I. cap. 57.

filius natus est, hereditatem petit? nemo: quia constat, agnascendo rumpi testamentum. Concludet forsan quis: Si libera iam republica agnatione sui heredis rumpebatur testamentum, nihil certius erit, quam vel instituendum vel exheredandum fore posthumum. Si hoc: iuris illa regula non erit ex Lege Iunia Velleia de instituendo aut nominacim exheredando filio, sed ad antiquiora tempora referenda. At repono: Vix ea conclusio procedet, si ad LL. XII. Tabularum respicimus. Sancitum erat Tab. IV. SI QUI EI IN X MENSIBVS PROXIMIS POSTVMVS NATVS ESCIT, IVSTVS ESTO. Non ergo postumus heres erat eo tempore, quo testamentum condebatur, sed fiebat demum, cum nasceretur. Poterat praeterire filium ex libera illa disponendi facultate lege concessa, quem sciebat filium, at quomodo potuisset eum praeterire, quem ignorabat extiturnum. Plane ergo postumi privilegio nulla dabitur extensio ad filios iam existentes. Sane ex his obiectib⁹ nondum euincatur, Legem Iuniam Velleiam de liberis instituendis aut exheredandis iura non dedisse. Videamus vero, ex qua iuris specie venerit inofficiosi testamenti querela?

CAP. IV.

Non equidem tam apertum est, cui iuris parti natales debeat querela inofficioli testamenti: qua re quoque factum, ut ad tam diuerſas abirent sententias viri docti. Nemo sane infelior fuit in coniiciendo *Franc. DVAREN⁹*^{f)} qui principum

B 3

cipum

f) DVARENVS ad Tit. de querel. inoffic. testam. cap. II.

14 DIFFERENTIA IURIS ROMANI ET GERMANICI

cipum Constitutiones in auxilium vocat, ex quibus querelam hanc introductam arbitratur. Sed si id verum, iam quaero, quomodo illae principum Constitutiones efficere potuerint, ut ea querela M. Anneus M. Carseolani splendidissimi equitis Romani filius aetate Pompeii Magni iam impugnare potuerit patris testamentum apud Centumuiros, ut testis est VALE-
RIVS MAXIMVS^g). Neque maiorem assensum habebit PETR. PITHOEI^h) opinio, qui ex edicto Praetoris origines perit. Sed et contrarius est VLPIANVSⁱ) qui ait: *Non putavit praetor ex heredatione notatos et remotos ad contra tabulas bonorum possessionem admittendos: sicuti nec iure ciuili testamenta parentium turbant, sane, si velint in officiis querelam instituere, est in ipsorum arbitrio.* Quamvis quidem pateat, querelam non ex lege ciuili aliqua origines cepisse, non tamen consequi licebit praetorem illius autorem fuisse, quippe et alia adhuc supererat causa, quae originem continere poterat. Quare si eundem Vlpianum consuluisse CVIACIVS^k) et qui eum sequuntur ANT. AVGUSTINVS^l) et I. VINC. GRAVINA^m) et alii, vix est, ut originem Legi Gliciae tribuerint. Si enim iure ciuili salua manent testamenta, quibus liberi exhereditati, frustra erit ex Lege origines repetere. Neque tamen

iis

g) VALERIVS MAXIMVS Memorab. L. VII. c. 7. n. 2.

h) PITHOEVS ad Pariat. LL. Mosaic. et Rom. XVI. 3.

i) VLPIANVS in L. 8. pr. ff. de honor. poss. contr. tab.

k) CVIACIVS Observ. Iur. Ciu. L. II. c. 21. XVII. 17.

l) AVGUSTINVS de LL. et SCtis in L. Glicia.

m) GRAVINA de LL. et SCtis. LXXX. p. 649.

n) HOMANNVS diff. de. quarta legitima Cap. I.

iis argumentis, quibus FRANC. HOTOMANNVSⁿ⁾ Cuiacii conjecturam impugnauit, vterer, satis idoneum mihi est argumentum ex Vlpi no desumptum. Non enim sufficit negare Legem Gliciam, quamuis in suam rem adducat Hotmann quorundam MStorum autoritatēm. Neque improbat eius opinionem CORN. V. BYNKERSHOEK^{o)}, HEINECCIVS^{p)}, BACHIVS^{q)} et alii, qui tamen alias praeterea adducunt probationes. Ego sane ex his rationibus nondum ad figmenta referrem ipsam Gliciam legem; concedo tamen querelam, ex ea peti non posse. Examinius doctorum hominum argumenta. Prouocant, illius legis unicam mentionem fieri in inscriptione L. 4. ff. de inoff. test. vbi tamen alii libri scripti et editi legant CAIVS ad L. Falcidiam. Recete extat eius mentio tantum in inscriptione et est ἐν τῷ ἀποξ λεγομένῳ. Sed sibi ipsi sententiam tulit V. BYNKERSHOEK^{r)} qui in controversia Vlpiani Χειρεψόλου ait: *sēxcentia occurunt apud veteres ἀποξ λεγόμενα, quae frustra quis suspecta, reiciat.* At est in inscriptione capitū tantum. Bene! Iam quaero: an priuata tantum autoritate, an vero publica inscriptiones legum additae. Et nemo est, qui neget, imperatorem ipsum non sine summa sapientia praecepsisse, ut compilatores capitū praemitterent ipsorum librorum titulos, ex quibus desumpta. Regeris: Errare potuere ipsi Librarii in describendo, quippe et MSti libri Falcidiam nominant.

^{o)} BYNKERSHOEK obseru. Iur. Ciuit. L. II. c. 12.

^{p)} HEINECCIVS in Ant. Iur. Rom. L. II. Tit. XVII. §. 5.

^{q)} BACHIVS in Hist. Iur. L. II. c. II. §. 97.

^{r)} BYNKERSHOEK Obseru. Iur. ciu. L. II. cap. 14.

16 DIFFERENTIA IURIS ROMANI ET GERMANICI

nant. Moneo: non defendam librarios, quasi vel non errauerint, vel errare non potuerint; at non valebit argumentum, quia potuerunt errare, ergo et haec vitiosa est inscriptio. Vrges varietatem lectionum. Bellissime. At da idoneam causam, si in Autographo scriptum CAIVS ad L. Falcidiam, quo vlo demum modo contingere potuerit, vt Librariis hominibus plerunque imperitissimis et barbaris Glicia nomen romanis non incelebre et gentis ex qua adeo magistratus gesserunt, in iure tamen penitus alias incognitum, in memoriam venire potuerit? Nonne magis videbitur credibile, imperitum aut semidoctum quandam Librarium, cum in inscriptione videret Legem Gliciam nominatam, suo quid induluisse ingenio atque cum eius mentionem non inuenisset amplius, Falcidiam substituisse, quam frequentiorem viderat nominatam in Iuris Libris? Et dein, quae erat emendationis modestia ex Glicia, efformare Falcidiam, inter quae nomina nulla penitus intercedit similitudo. Tandem indubitatae fidei est, MStum quod Florentiae seruatur, nisi reliqua superet antiquitate, esse tamen vnum ex antiquissimis, cuiusque semper autoritas summa fuit, et adhuc est. Et in hoc inscriptio *cit. cap.* exhibet Gliciae legis nomen. Quaero ergo causam, quae suadeat, vt a lectione optimi libri recedamus, cum nomina aliarum legum vnico saltem loco deprehensorum non negemus, quarum argumentum et aetatem nec melius cognoscimus, quam nostrae Gliciae Legis? Ais amp'us, Legum nomina a cognomine non nominari apud Romanos. Sed facisfecit eruditus BACHIVS qui ad GLAVCIAM Legem et coCTIAM et METELLAM prouocat. Quare si haec omnia absque partium studium ponderamus, nulla existet causa,

causa, vt ipsam Legem Gliciam negemus atque L. 4. cit. inscriptionem falsam pronunciemus. Sed redeo ad rem. Male coniecit Cuiacius Gliciam Legem origines dedisse querelae inofficiosi testamenti. Verior itaque videbitur Opinio FRANC. HOTOMANNI^{s)} BYNKERSHOEKII^{t)} HEINECCII^{v)} BACHII^{w)} et aliorum, qui ex moribus et fori disputatione originem traxisse affirmant. Dabimus argumenta, quae nobis in mentem venerunt. Cum teste Vlpiano supra laudato iure ciuili firma manerent testamenta parentium, quibus liberi exheredati, neque praetor ob clara decemuirorum verba *Vti legasset, ita ius esto*, remedium concederet, sicque perfecto aliquo iure praeteriti liberi ante L. Iun. Velleam et exheredati destituerentur, impugnandi patris vltimam voluntatem, nihil supererat ipsis liberis, quam vt suis querelis, lacrymis, precibus centumuiros, ad quos causarum, quae de iure agebant, decisiones pertinebant, commouerent. Neque improbabile est, oratores, qui exheredatorum liberorum causas apud Centumuiros agebant, sua eloquentia parentum improbitatem impietatemque orationis argumentum fecisse, parentumque officia pietatis, amoris et sanguinis commendasse, atque fictioni occasionem dedisse, parentem filium exheredantem dubiae sanitatis fuisse. Sicuti enim ex iudicio Curiano illo celeberrimo constet, quantum eloquentia interdum valuerit apud Centumuiros, vt adeo

s) HOTOMANNVS. Cit. loc.

t) BYNKERSHOEK. Cit. cap. 12.

v) HEINECCIVS. in Antiquit. Iur. cit. loc.

w) BACIVS in Hist. Iur. L. II. c. II. Sect. V. §. 4.

18 DIFFERENTIAE IVRIS ROMANI ET GERMANICI

adeo iuris rationes suppressae, ita mirum non videbitur, si et in hac causa oratorum eloquentia quid effecerit, ut censemui et facta illa parentis, insania testamentum resciderint, quodque cum crebrius factum non tantum nomini, sed iurivim et originem dederit.

C A P. V.

Iam ad quartae legitimae origines. Non aequa facile videatur in hoc iuris capite sententiam dicere, qui omni destituti medio, quo coniectura aliqua saltē verosimilis reddi possit. Examinatis aliorum doctorum hominum opinionibus, buid nobis videatur, videbimus. Magnus prosector CVIACIVS^{x)} non erubescit, doctam fateri ignorantiam et suspicatur tantum D. Marci A. temporibus illam ipsam inuentam fuisse. Sed non eget refutatione, quippe deceptus loco Nicephori, nec ipse Cuiacius fortiter coniecturam defendit. At IAN. a COSTA^{y)} CLAVD. CHIFFLETIVS^{z)} ANT. SCHVLTINGIVS^{a)} argumentis ex Legis Falcidiae rationibus de promis hanc portionem introductam arbitrantur. Videamus, quibus vntantur probationibus. Prouocant ad autoritatem PAVLI^{b)} et VLPPIANVS^{c)} et PLINII^{d)} Audiamus singulos. Ait PAV-

LVS

x) C VIACIVS. Obseru. Iur. ciu. L. II. c. 21. III. 8.

y) a COSTA. Comment. ad princ. Instit. Tit. de inoff. test.

z) CHIFFLETIVS. de Legitim. portione.

a) SCHVLTINGIVS Jurisprud. Anteius. p. 381.

b) PAVLVS Recept. sentent. L. IV. Tit. V. §. 5.

c) VLPPIANVS in L. 8. §. 9. et 14. ff. de querel. inoffic. test.

d) PLINIVS Epistol. L. V. epist. I.

LVS: *Filius ex aſſe heres institutus, inofficium dicere non potest: nec intereſt, exhausta, nec ne, ſit hereditas: cum apud eum quarta aut legis Falcidiae aut SCti Pegesiani beneficio ſit remansura.* Ego vero in hoc ipſo capite ne verbum deprehendo, ex quo legitima ex rationibus Falcidiae deriuata ſit. Constat enim quartam legitimam quondam vere quartam hereditatis partem comprehendiffe. Constat Legem Falcidiam cauſam habuiſſe, ut proſpicerent, ne testamento morientium tam facile deſtituerentur, in quam cauſam et iam ante L. Furia et L. Voconia lata fuerat. Introduxerat ipſa Lex Falcidia quartam heredi relinquendam faluum, ne repudiaret hereditatem testamento relictam. Addo amplius, L. Falcidiam beneficium heredibus testamentariis dediſſe, qui qui illi fuerint, ſive ſui, ſive extranei. Iam negat PAVLVS, filium quaerela poſſe testamentum reſcindere, ex ea cauſa, quod quoſque remedium exiſteret, quo iniuria mortuo parenti fictione querelae inferenda cuiſari poſſet illud antepoñendum. Iam filius heres scriptus, non vero exheredatus, contra officium partem egisse probare non po-
terat, vtebatur ergo remedio illo benigniori et molliori Falcidiae aut Pegasiana. Neque laedebatur, quippe quantitas legitimae a Falcidiae et Pegasiana non differebat. Sed quis concludat, quia filius non agere poſtēt inofficioſi querela ex aſſe institutus, ſed quia hereditas grauata legatis, Falcidiae auxilium adhibet, ergo legitima eſt ex ratione Falcidiae. Sa-
ne huius argumenti vim non peruideo. Haec fane portio ab intestato liberis debita non confundenda cum Falcidiae quar-
ta. Neque maior vis probationis eſt apud Vlpianum. Scribit: *Nam ſi, cum quis ex aſſe heres institutus eſt, ideo non poſtēt dicere inofficium, quia habet Falcidiam etc.* Haec fane

C 2

a Paulo

20 DIFFERENTIA IURIS ROMANI ET GERMANICI

a Paulo non diuersa. Sed pergit: *Vnde non male Papinianus libro secundo responsorum res fert, si heres fuit institutus et rogatus restituere hereditatem; dein in querela inofficiosi non obtinuit: id, quod iure Falcidiae potuit habere, solum perdere.* Videntur haec maioris momenti esse, quippe expresse affirmat ICtus perdere Falcidiā, quum filii careant legitima, si querela inofficiosi instituta non obtineant. At non soleo verba ICti suo contextui eripere. Ipse Vlpianus ergo audiēndus. Ponit regulam, filium, qui improbe dementiae accusat patrem querela inofficiosi testamenti instituta, cum faluum maneat testamentum, perdere id, quod paterna liberalitas eidem in testamento adsignauerat. Iam siebat, vt Titius pater filium testamento scriberet heredem ex aſſe, eandem hereditatem fideicommissis grauaret, non vniuersali aliquo, quod forsitan indicare possent verba: *et rogatus restituere hereditatem, sed particularibus, quod inde coniicio, quia Vlpiani aetate legata atque fideicommissa exaequata videbantur in detractione Falcidiae, cuius mentio est in Lege.* Hicce vero filius, cum rescisso testamento potius mallet omnem fibi habere paternam hereditatem, neque sola Falcidiae quarta contentus esse vellet, hoc ipsum testamentum inofficiosi querela impugnabat necessarius et suus heres, patremque furiosum pronunciabat. At nulla redditia probatione idonea, sua repellebatur querela: iam quaerebatur, an adhuc posset faluo manente testamento quartam falcidiā, quae eidem, vt heredi scripto debebatur, detrahere, quam detraxisset ante, quam querelam inofficiosi instituisset. Negat PAPINIANVS, et hoc responsum probat Vlpianus ex sua regula, quia *qui testamentum inofficiosum improbe dixit, et non obtinuit, id quod in testamento accepit, perdat.* Si sic Vlpia-

Vlpianum explicemus, qualis eius verus sensus est, nullum video argumentum, quo probem, legitimam, cuius nec vestigii quidem ratio in ea lege existit, ex Falcidiae rationibus depromptam atque deductam esse. Veniamus ad PLINIVM, cuius verba, quae in suam rem citant eruditi, haec sunt: *Si mater te ex parte quarta scripsisset heredem, num queri posset?* *Quid si heredem quidem instituisset ex affe, sed legatis ita exhaussisset, ut non amplius apud te, quam quarta remanceret?* etc. Haec omnia facilia, sed nihil ad rem faciunt. Qui si enim dicamus, in prima orationis parte legitimam subintelligi, in altera Falcidiā, tamen non consequi poterat, illam ex huius rationibus fuisse introductam. Poterat et legitima Falcidiae rationem dedit. Sane haec Plinii verba non probant ea, ad quae probanda adducuntur. Ponderosiora demum quaerunt probandi media in Constitutione Imperatoris IVSTINI^NIANI^e) in qua sancitum: *Quae nuper ad testamenta conseruanda nec facile retrahenda sanciuimus; ut ratione Falcidiae minime illis personis derelictae, quae ad inefficiosi testamenti querelam ex prioribus vocabantur legibus, non periclitentur testamenta; sed quod deest legitimae portioni, id est, quartae parti scilicet ab intestato successioni, tantum repleatur caet.* Sed salua adhuc res est, quippe ipse IVSTINI^NIANVS^f) refutandi causam suppeditat, qui ius vetus §. I. et nouum in princip. introductum, ad quod supra adductis verbis prouocat, bene seiungit. Poterat ex Falcidiae ratione aliquid introducere imperator scilicet actionem ad supplendam legitimam, quis inde concludat, ergo omnis legitima

C 3

tima

e) IVSTINI^NIANVS. L. 31. C. de inoffic. testam.f) IVSTINI^NIANVS. L. 30. C. eod.

22 DIFFERENTIAE IURIS ROMANI ET GERMANICI

timia ex Falcidiae ratione introducta sit, necesse est. Possem
praeterea suspectam forsan reddere lectionem, cum qui-
dam libri editi non sine autoritate forsan M^{Storum} exhibe-
beant, *ut portione legitima minime illis personis derelicta.*
Sed non egemus hac medicina. Neque faciet quicquam
ad probandam opinionem de legitimae origine, quod in Lege
ARCA DII et HONORII^{g)} cum de testata intestataque
successione loquerentur, eam quam filia caperet portionem
falcidiam quartam et impropre et breuitatis praeterea stu-
dio dicerent. Haec impropria denominatio non probat
legitimam ex Falcidiae rationibus et post Falcidiam intro-
ductam. Quare cum haec omnia non probant, IO. VAN
de WATER^{h)} non ex rationibus Legis Falcidiae, sed ex
ipsis verbis legis legitimam deducit, quia forsan ipsi maior
ratio necessitatis videbatur succurrere liberis exhereditatis
quam extraneis scriptis heredibus. Sed vellem probasset
suam opinionem, quod meo quidem iudicio non fecerat.
Et dato eo, quod portio liberorum illa ab intestato debita,
in iure interdum Falcidia diceretur, tamen cum ea appella-
tio ob quantitatis aequalitatem, quae in falcidia et legitima
erat, facile impropre et per negligentiam fieri posset,
mihi id sufficere non videtur. Iam ergo, quae sit eius sen-
tentia! Fateor, tantam esse omnium prope rerum circumpo-
sitarum obscuritatem monumentorumque historicotum des-
etum, *ut vix quidquam tuto asseri possit.* Neque et erube-
scerem in ea causa doctam fateri ignorantiam cum Cuiacio,
nisi venisset quaedam coniiciendi ratio, quae me retineret,
quam

g) ARCADIVS et HONORIVS in L. 5. §. 3. C. ad L. Iul. maiest.

h) WATER. Obseru. Iur. Cin. L. I. cap. II.

quam tamen cum admodum nubibus adhuc inuoluta, iam nemini obtrudo, tamen, cum veniam impetrari posse sperem, in re obscura quid tentans, animi dicam sententiam. Observauai, in perlunganda Historia Romana atque Politia gentis, eam plurima in ciuitate dedisse diuitiis atque Censu ratio, et ex Censu institutorum Comitiorum Centuriatorum causa aliaque, veriorem atque probabiliorem opinionem reddent. Maxime vero interesse videbatur reipublicae, cum ne capite censos ad militiam quidem admitterent, vt Ciuis tantum haberet, ne incensus fieret, quantum esset saltem in censu. Coniicio ipsis legis *Cinciae caput de muneribus* ad hanc simul respexit causam, cum immoderatam liberalitatem damnaret, at imperfecto modo. Quare nihil interfuerit liberae quoque reipublicae temporibus, vt liberi, qui ex iure proprii quid non habebant, ne plane incensi fierent, saltem aliquid ex parentum bonis consequerentur. Credibile ergo videtur, extitisse iam liberae reipublicae aetate iuris aliquod praeceptum, quod patri imponeret, vt sicut in donatione donator partem retineret, ita et is liberis suis saltem tantum relinquoret, ne inter capite censos ob bonorum inopiam referendi essent. Oriebatur forsitan ex hoc iuris praecepto officium illud patris, contra quod exheredantem liberos et olim praetereuntem patrem egisse clamitabant illi, qui inofficiosi testamenti querebla experiebantur. Non vero existere debebat aliquod remedium ciuale, quippe apud centumciros tractanda erat causa, si filius, patrem contra officium egisse, agere constituisse. Poterat id, si imperfecta esset lex; cum et antiquitus deesset ciuale remedium, quo quis, qui contra Cinciae legis sancta donasset, donata reuocare atque repetere posset. Saltem robustior ratio

24 DIFFERENTIA IURIS ROMANI ET GERMANICI

ratio ex censu deduci poterat pro introducenda illa legitima, quam ea quae ex legis Falcidiae verbis deponit, cuius legis causa quidem conspirat cum legitimae quartae rationibus. Tantus nescio an furor, an amor fuerat, qui Romanorum animos intrauerat, ut de semel suis bonis dicta lege seu testamento seruando anxie solliciti, vagis testamentum libidinibus quae causam darent, ut saepius destituta fierent testamenta, obicem ponerent lege **FVRIA**, post **VOCONIA**, tandem **FALCIDIA**. Haec legis Falcidiae ratio. Iam legitimae ratio ea videtur, non ut parentum tantum testamenta seruarentur, quae seruari poterant de stricto iure, cum vti pater legasset, iustum esset; sed ne liberi omnibus paternis bonis exuti incensi fierent et aliqua tantum bona caperent, quo diuitiis suis semel in republica datus honos maneret. Quae cum ita sint, fateor, me ignorare, quomodo ex Falcidiae rationibus legitimam, quae aliam penitus agnoscit causam, deducam. Magis ergo in eam declino opinionem, ut legi cuidam non cum **WATERO** Falcidiae, sed antiquiori, quaeque ad Cinciae tempora magis accederet originem tribuerem. At hic concendi deficit felicitas ob probationum defectum, nisi forsitan Gliciam illam legem, pro qua antea diximus, aduocare velimus atque afferere, illam forsitan, at imperfecte, officium paternum introduxisse. Dixi supra, me nudam coniecturam daturum, quare cuilibet, si aliam Legem aut probabiliorem fontem legitimae adduceret, facile subscribam. Quae tamen ea quantitas fuerat, quam magis ad censum emensam concidebam, iam non constituo. Neque tantopere alienus sum, qui concedam, ipsam quartae bonorum quantitatem postea recepta querela inofficiosi a Centumviris ex Falcidia lege determinatam fuisse. Sed est haec coniectura sine probatione

batione, neque tamen analogiae iuris et historiae repugnare videtur. Non tamen penitus improbanda, quae dixit in
hanc rem ABRAH. WIELINGⁱ⁾.

Haec de Origine legitimae et inofficiosi testamenti quærela. Nil agam de iis iurium immutationibus, quæ vel circa legitimam vel querelam inofficiosi testamenti postea introducta. Tantus est eruditorum hominum numerus, qui in his materiis operas suas locarunt, ut quodammodo actum agerem, si plura adderem. Sufficiat nominasse SCHVLTINGIVM^{k)} PETR. de TOVLLIEN^{l)} HENR. COCCEII^{m)} PAVL. FRANC. ROMANVMⁿ⁾ SAM. STRYKIVM^{o)} GODE. LVDW. MENCKENIVM^{p)} CAR. OTT. RECHENBERGIVM^{q)} et DE LEYSERVUM^{r)} qui et nouiorum iurium et mutationum rationes obseruarunt. Neque de legitimæ ademtione, quæ in exheredatione antiquitus cum

præ-

i) WIELING. in Leſt. Iur. Ciuit. L. II. c. 20.

k) SCHVLTINGIVS de testament. rescissis.

l) TOVLLIEN Diff. IX. de portione legitima titulo instit. relinqu.

m) COCCEII de legitima eiusque necessaria præstatione. Heidelberg. 1682.

n) ROMANVS diff. de legitima Lips. 1672.

o) STRYCK diff. de casib⁹ circa legitimam controvērsis Hal. 1705.

p) MENCEN diff. de legitima quatenus ipsi possit et non possit præiudicari. Vit. 1721.

q) RECHENBERG de eo, quod legitima sit iuris ciuilis et statut⁹ plane tolli possit. Lips. 1733.

r) LEYSER. Medit. ad ff. Vol. II. Spec. XCI.

D

26 DIFFERENTIAE IURIS ROMANI ET GERMANICI

praetor post ex determinatis causis iustis siebat, quicquam addam, quae trita sunt et in vulgus nota. Videamus potius mores atque quae iura patria nostra quondam approbauerit et iam approbet.

CAP. VI.

Nota sunt, quae TACITVS ^{s)} scribit de maioribus nostris Germaniac incolis: *Heredes successoresque sui cuique liberi: nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in successione fratres, patrui, auunculi.* Sicuti haec legibus recentioribus conueniant, ita de veritate dubitandum non videbitur, quamvis de auunculo, qui esset extra defuncti familiam non admodum improbabile dubitari posset, et in qua re Tacitus cuncta ex relatione scribens forsan plus latius iusto extendisse poterat successions ordinem. Nullum ergo dubium, antiquissimo iure seu patriis moribus exheredationem testamatam non extitisse, neque querelam quandam testamenti inofficiosi cogitari potuisse.

Et quamquam maioribus nostris de successione licentia data fuerit pacisciendi, neque nostris moribus successoria pacta improbata, tamen pacta valuisse, quibus liberis legitima illa et a natura prope commendata successio erupta fuerat, nunquam datur probatio, potius contrarium suadent facta inter populares, quae ne approbabant quidem inter viuos factas alienationes in fraudem successionis liberorum,

^{s)} TACITVS de Mor. German. C.XX.

rorum, quale quid et adhuc obtinuisse tempore Landgravi ALBERTI DEGENERIS coniici poterit ex historiae monumentis. Clarius testimonium est in RIPVARIORVM LEGE^{t)}. Si quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit; omnem facultatem suam in praesentia Regis, sive vir mulieri, vel mulier viro, seu cumque libet, de proximis vel extraneis adoptare in hereditatem vel ad fatimi per scripturarum seriem, seu per traditionem et testibus adhibitis, secundum legem Ripuariam licentiam habeat. Eandem sub restrictione LEX BAIVVARIORVM^{v)} pacifcandi disponendique licentiam concedit de bonis. Si nec, inquit lex, filios nec filias nec nepotes nec pronepotes; nec ullum de propinquis haberet, sed — — — in quem voluerit, pro suo iure transfundat. SAXONES^{w)} idem prope excepta aliqua superstitionis portiuncula admixta disposuere suis Legibus: Nulli licet traditionem hereditatis suae facere, praeter ad ecclesiam vel regi: nec heredem suum ex heredem facere, nisi forte famis necessitate coacto, ut ab illo, qui hoc accepit, sustentaretur. Recete tamen videtur SPECVLVM SAXONICVM^{x)} hanc Saxonum legem tanquam maiorum mores intellexisse de bonis immobilibus. Sic enim ait Speculator: Alle fahrende Habe giebt der Mann wohl ohne Laub der Erben, in allen Städten und an allen Orten. At de immobilibus nulla illi disponendi facultas relicta,

D 2

nisi

t) LEG. RIPVARIORVM Tit XLVIII.

v) LEG. BAIVVARIORVM Tit. IX. §. 3.

w) LEG. SAXONVM Tit. XV. §. 1. et 2.

x) SPECVL. SAXONICVM Lib. I. art. 52.

28 DIFFERENTIA IURIS ROMANI ET GERMANICI

nisi successores, quibus ex familiae iuribus successio competet, consentirent. Testatur id SPECVLVM SAXONIUM^{y)} Ohne des Richters Urlaub mag ein Mann seyn Eigen wohl vergeben mit der Erben Gunst, also dasz er behalte eine Huſe oder eine Hofstatt, da man einen Wagen innen gewenden möge. idem: Ohne der Erben Laub und ohne Gericht mag kein Mann sein eigen Gut, noch seine Leute vergeben, vergiebt er es aber wider Recht, ohne der Erben Urlaub, so mögen die Erben sich des wohl unterwinden mit Recht, als ob er tott wäre, der es gab, darum, dasz er es nicht vergeben möchte. Satis appareat ex his legum iuriunque monumentis, nec legitimae nec querelae rationem inter maiores nostros existere potuisse, potius antiquioribus temporibus intestati succedendi ordinem sancte seruatum fuisse. Sed eheu! quam demum cladem intulit supersticio opem ferente iure peregrino moribus patriis. Constat Cleros inhiantes laicorum opibus, testamentis, quae titulo des Seelen Geräthes commendabant, in Germania nostra admodum quoque fuisse. Neque quantum fieri poterat testamentis resistebant populares, quae et tandem primum illustribus, post reliquis magnae Germaniae incolis placuerunt, de qua re satisfaciet HEINECCIVS²⁾ quid mirum, si et inter Germanos demum ex peregrino illo iure et legitimae et querelae inofficiosi testamenti recipiendi et causa et occasio orta fuerit. At vero tamen semper bonorum quedam distinctio seruata fuit. Quodsi enim alicuius bona ea sunt natura, adhuc nexa sint familiae atque agnatis in iis

y) SPECVLVM SAXONIUM. L. I. art. 34. et 52.

2) HEINECCIVS in Element. Iur. Germ. L. Tit. VII. §. 181.

IN LEGIT. ET QVERELA INOFFIC. TEST. LIBEROR. 29

iis neque querelac inofficiosi testamenti neque legitimae
ratio obueniet. At quae bona et receptis peregrini juris
ideis liberae possessoris dispositioni relicta, in iis bonis,
et querelae et legitimae ratio habenda, atque si quae con-
trouerse nascantur, ex illo ipso romano iure et enuclean-
da et decidenda videntur, nisi quae a specialissimis
prouinciarum legibus sancta sint.

T A N T V M .



D 3

CLA-

CLARISSIMO RESPONDENTI
CHRISTOPHORO FRIDERICO
WENTZELIO

S. D. F.

P R A E S E S.

Elegantia profectio scientiarum TVARVM vnica causa
est, quae ad scribendum me impulit. Cum nomen
profitereris inter eos, quibus ex mea doctrina sapere animus
erat, simul ostendebas, iam in propinqua Academia ob in
patria mixtum territorium tam elegantem scientiarum co-
piam collegisse, ut et admirationem et ad TVAM laudem
concitarer. Accessisti demum atque meum TIBI expetiisli
auxilium in edendo scientiarum specimine in Saxonia, quod
peregre iam feceras. Cum scirem TE in forensibus cau-
sis orandis versatum, TVO arbitrio TVAEque scientiae
reliqui, quam TIBI scribendi materiam caperes. Elege-
ras Thema non ex lite aliqua forensi desumtum, sed qua
imbutus antea fueras Iurisprudentia elegantior TIBI larga
manu scribendi ingenique et doctrinae elegantiam docendi
materiam

materiam exhibuit. Obtulisti mibi eleganter scriptum libellum de origine legitimae et inofficiosi testamenti proprio studio elaboratum, et cum viderem eadem TE conieciisse, quae ipsemet quondam suspicabar, opinionum TVARVM defensionem eo lubentius in me suscepit, quo magis TE me amare sentirem. Breuitas temporis, ad limanda ea, quae iam eleganter a TE scripta erant, passa non est, ut plura vbi possem adderem, neque inueni, in quibus TVA opinio TVA que doctrina placere non posset, siveque lubentissime TIBI me comitem adiungo. Quapropter ex animo de futura quae TE expectat felicitate gratulor, sancteque promitto, nihil mihi gratius nihilque iucundius fore, quam si crebrioses nuntios de TVAE perpetua felicitate meis votis respondere sentiam. Propera ergo ad laudes honoresque, qui TE expectant, quosque TVAE merentur scientiae, siveque omni felicitatum genere cumulatum TE senties, id abs TE rogo, ne mei memoriam negligas neque a me amando, cum ego TE vehementer animem, desistas. Sic Valebis. Dabam Lipsiae d. XXIX Maii


cIcCCLXII.



ULB Halle
006 385 451

3





Pr. 47. Prink. 28.
1762, 27a

DISSE^TAT^O IVRIDICA

DE

DIFFERENTIIS IVRIS ROMANI
ET GERMANICI

IN

LEGITIMA ET QVERELA
INOFFICIOSI TESTAMENTI LIBERORVM

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

P. 209
D.CHRISTIANO HENRICO BREVNING,
PROFESS. PVBLIC. EXTRAORD. ET SOCIET. LITER.
DVSEVRG. SOCIO

IN

A V D I T O R I O P E T R I N O
DIE XXIX. MAII ANNO CCCCCCLXII

D E F E N D E T

AVTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS WENTZEL

ISLEBIENSIS.

L I P S I A E
EX OFFICINA STOPFFELIA.

